

Anno 1356, ipso die Luce, factus terremotus magnus in tota terra et maxime in Theutonica terra, et Basilea civitas et quam plura castra et innnumerabilia edificia ceciderunt.

Anno domini 1362, in octava assumptionis Marie, combustum fuit monasterium Parisiense¹⁾ in toto, preter domum domini abbatis et infirmitorium, sub domino Johanne Uszholtz abbate.

Anno domini 1365, tempore estivale, Anglicorum plus quam 6 milia intraverunt Alsaciam, transcendentem per montana retro Novillare prope Zaberniam diocesis Argentinensis, et manserunt in Alsacia quasi per quindenam. Deinde per imperatorem Karolum omnesque imperii civitates tranß montana²⁾ Maßmunster fuerunt efugati³⁾ et interfecti per Switenses in Frowenbrunnen prope Berna.

Anno domini 1373, ipso die circumcisionis, ante ortum diei furtim subintrata est civitas Herlißhin prope Columbariam per dominum Johannem Erbe, Johannem zem Wiger milites, dictosque Schophes, Sloßcüntzlin, Widenbosch et quam plures alios⁴⁾ eorum complices, qui ibidem dominum Eppen dicte civitatis⁵⁾ cum filiis suis captivarunt, quos in eadem civitate per dominum dictum⁶⁾ de Walsce, superior advocatus tam inperatoris quam ducis Austrie, et dominus Johannes Murlin subadvocatus, convocatis omnibus imperii civitatibus, inmediate et ipso die obsederunt, ipsosque omnes, in numero 63⁷⁾, octava die a dicto die circumcisionis capite truncarunt, sed eciam suspenderunt⁸⁾, excepto domino Johanne Erbe, qui, antequam obsederunt, assumptis sibi thesauris evasit, dimissis sponte pene 30 vel citra masculis dicto truncatorum.

Anno domini 1386, crastina Kiliani, fuit occisus Lupoldus dux Austrie cum magno dominio apud Senpach a Switensibus.

Anno 1410⁹⁾ Sigismundus rex Ungarie a principibus Alimannie in regem Romanorum eligitur, et Aquisgranis coronatur anno 1414¹⁰⁾.

(180^a). De concilio Constanciensi.

Anno domini 1414¹¹⁾ rex predictus concilium universale in Constancia celebravit propter antipapas: Rome¹²⁾ papa Johannes, Avione papa Benedictus, et papa Gregorius.

Et fuit papa Johannes in propria persona in Constancia

1) Hs.: monasterium par. 2) Erg.: prope. 3) Das Folgende, bis Berna, bezieht sich auf den Zug Ingram's von Coucy, v. J. 1375 und gehört also nicht hieher. 4) Hs.: allos. 5) Eppo von Hadstadt trug seit 1355 Herlisheim zu Lehen vom Bischof von Strassburg. 6) Lies: dominus dictus. 7) Verschr. aus: 53. S. Koenigshofen, in Chron. d. deutschen Städte IX, p. 802. 8) d. h. sie wurden theils enthauptet, theils gehenkt, theils gerädert. S. Koenigsh. l. c. 9) Hs.: 1400. 10) Hs.: 405. 11) Hs.: 1405. 12) Sollte heissen: Pise. Rome gehört zu Gregorius.